

terram & caelos vehementer commovisse. Pleni sunt Apostolorum libri admiratione illius motus, tam ob mirabilem eius naturam, quam ob stupendos, qui eum secuti sunt, rerum eventus. Matth. XXVII, 45-52. Luc. XXIII, 44-45. Marc. XV, 33. 37-38-39. Quod hi silentio praetereunt, id ex Haggaeo Paulus affert, scilicet causas id omne efficientes continuuisse vocem Iesu. Quam vero egregie Paulo & Haggaeo cum Mattheo ac reliquis conveniat, illi haud obscurum erit, qui vocem Iesu moribundi ingentem statim cum terrae motu arctissime coniungi a sacrae historiae scriptoribus Matth. XXVII, 50. 51. Marc. XV, 37-38. considerabit. Magnitudinem vocis, quam in extremo vitae suae momento emisit Sospitator vocabulis *κράξας Φωνή μεγάλη, αἱρεῖσ Φωνὴν μεγάλην, ἔτως κράξας, Φωνῆτας Φωνὴ μεγάλη,* memoriae prodiderunt, ac subiuncto statim mirabili eventu, vehementissima universitatis rerum commotione, haud obscure subindicarunt, eam ab voce & clamoribus Iesu effectam esse. Hoc ut crederem in primis me movit centurio, qui, cum videret, Christum tam ingenti tamque inaudito clamore decessisse, excitatus, Christo cum iureiurando nomen filii Dei, forte etiam suum dedit Marc. XV, 39. Observavit itaque vir pius in voce Iesu virtutem quandam mirabilem, ac naturae viribus maiorem, quod partim ex inusitata vocis magnitudine, partim vero ex stupendo terrae motu, qui cum ea coniunctus erat, collegisse videtur. Et sane, si ea, quae de voce Iesu eiusque potentissima virtute in sacris literis prohibentur, attenta religione considero, Iesum *μεγαλοφωνότατον* dicere haud vereor. Ea enim Iesu vox est, quae tumulos totius terrarum orbis una exclamatione penetrat, eosque referat Ioh. V, 25-28. XI, 43. Ea filii Dei vox est, quae maior ea Pontificis M. voce, in die expiationis magna, Hierosolymis & Hierichunte simul audita, coelis & terris simul exaudienda acclamabitur, *κελεύσματι imperatorio similis I. Thessal.* IV, 16.

§. 9.